

Sententia Gualterii Archiepiscopi Ravennatis in controversia
vertente inter Archidiaconum & Canonicos Ecclesie
Regiensis, Anno Christi 1141.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis . Sicut ad Pastoris curam pertinet , supra gregem sibi commissum impigre vigilare , & que ad animarum salutem spectant sibi , vigilantibus studio ministrare : dum pro pace inter Reginos Cives & Capitaneos componenda , Dominus Gualterius sancte Ravennatis Ecclesie venerabilis Archiepiscopus Regii esset , & in Canonica Sancte Marie Regiensis Ecclesie sicut in mo proprio Metropolitanus resideret ; assidentibus sibi Domino Alberio ejusdem Ecclesie Episcopo , Johanne quoque Ravennatis Ecclesie Archipresbytero Cardinale , & Presbytero Fantulino Cardinale , atque Andrea Presbytero Cantore , Henrico Diacono Cardinale , & Buniolo Subdiacono Cardinale , astantibus etiam ejusdem Regine Ecclesie Canonicis & Capellanis ; pluribus quoque de Archipresbyteris ejusdem Episcopatus , coram eo sedentibus : Cepit idem venerabilis Archiepiscopus , igne caritatis divinitus accensus , ut erat pio ac decenti eloquio eruditus , ac mira facundia repletus , prefatis Fratribus salubra celestis vite monita mirabiliter predicare , & diversarum scripturarum varia secula ad motum conformitatem , & vite honestatem , fraterne quoque dilectionis unitatem , ac bone conversationis ordines convenientiam predicando ministrare , ac melliflua celestium eloquiorum , celitus Spiritus Sancti rore perfusus , dulciter propinare . Tunc Achilles ejusdem Ecclesie Archidiaconus tam de officio , quam de beneficio Archidiaconatus coram eodem Archiepiscopo adversum Canonicos cepit contendere . Contra quem Ogerius Archipresbyter cum reliquis Majoris Ecclesie Canonicis , & Donnus Gratianus cum ceteris Fratribus Ecclesie Sancti Prosperi , de Beneficiis Canonicarum prebendarum , quas Bernardus quondam Archidiaconus , & Siabellus Sancti Prosperi Prepositus , & postea Archidiaconus , non pro Beneficio Archidiaconatus , sed prebendario modo detinuerant , & de aliis inferius terminandis ceperunt proclamare . Quorum adversum sese tam allegationibus , quam contradictionibus hinc inde diligenter auditus , prefatus Archiepiscopus , tam divinis quam humanis Legibus instructus , hujusmodi sententiam promulgavit . Videlicet Archidiaconum de omnibus aliis rebus , unde inter eum & Canonicos & Fratres Sancti Prosperi controversabatur , tacitum esse debere , & eosdem Fratres quiete sine molestia possidere . De his vero , que in Privilegiis venerabilium Episcoporum bone memorie Adelberti , & Sigefredi ad Beneficium Archidiaconatus declarantur pertinere , contentum esse . Eo tamen tenore , quod si quando predictus Archidiaconus aliquid earum rerum , que a predictis Archidiaconibus aliquo titulo possesse fuere veris probationibus & argumentis tam Instrumentorum quam etiam testium , quibus fides adhibenda , probare poterit ad Archidiaconatum pertinere : Fratres tam Canonicos , quam Sancti Prosperi , nullam sibi exinde inquietudinem faciant , calumpniosos intentionibus ab utraque parte remotis . Precepit etiam , terras insusum turgurii Canonicis largitas per manus Ar-

A chipresbyteri & Archidiaconi debere disponi . Terram quoque Mansionariorum , quam idem Archidiaconus a Mansionariis emerat Ecclesie Sancte Marie debere restitui , & secundum tenorem largitoris , per manus Archipresbyteri & Archidiaconi debere disponi : eo tamen tenore , quod si posset probari , easdem terras venditorum fore , nec ad Mansionariam pertinere , Archidiaconus eas deberet habere ; alioquin cum venditoribus ager de evictione . Bona vero Ecclesie , que nomine Pheodi idem Archidiaconus dederat , revocari , & ut omnem suam auctoritatem Archidiaconus his , quibus dederat , auferret , precepit . Precium vero Planete , Anuli , & Anulurum , quas Archidiaconus vendiderat , Ecclesie restitui debere judicavit : quod precium fuit secundum ejus confessionem sex Libre & quatuordecim Solidi , pro quorum restitutione quasdam suas possessiones in pignore , donec debitum solveret , dedit Episcopo . Capellam preterea Sancti Jacobi ab Archidiacono fundatam , quam sibi proprie vendicabat , que , ut leges divine & humane censent , in bonis nullius esse , quod est divini juris , ad Episcopi solius & Canonicorum pro velle Episcopi dispositionem proprie judicavit pertinere . Precepit etiam , ut idem Archidiaconus pro suo speciali servitio preter communes Servitores & Equos , nullum servitorem vel equum in Canonica de communi ad suam singulare servitium retineret : quod si vellet habere , de suis propriis expensis regeret . Plebem vero Fabrice in deliberatione Episcopi dimisit , ut pro beneplacito suo foret , utrum eidem Archidiacono eam concedere vel non concedere vellet . Hanc vero notitiam prefatus Archiepiscopus ad futurorum memoriam fieri precepit , & prefato Andree Presbytero suo Cancellario scribendam mandavit , & proprio Sigillo firmari precepit .

B Acta Regii per manus Andree Presbyteri & Cancellarii , Anno Dominice Incarnationis Millesimo Centesimo Quadragesimo Primo , die XXI. Mensis Aprilis , Indictione IV. temporibus Domni Innocentii Pape II. & Conradi Regis Anno III. Pontificatus Domni Gualterii Vigesimo Tertio .

C Ego Gualterius Archiepiscopus hanc notitiam confirmans , quia manu propria non potui , subscribi mea vice precepi .

Ego Johannes Archipresbyter sancte Ravennatis Ecclesie subscripsi .

Ego Henricus Cumiacensis Episcopus manu mea subscripsi .

Ego Fantulinus Presbyter Cardinalis sancte Ravennatis Ecclesie subscripsi .

Buniolus Subdiaconus Cardinalis subscripsit .

Ego Divizo Saxenas Episcopus manu mea subscripsi .

Ego Benno Cesenas Episcopus manu mea subscripsi .

Ego Rambertus Faventinus Episcopus manu mea subscripsi .

Monogramma